

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

SALE CORPORVM
MIXTORVM PRINCIPIO
CONSTITVTIVO

QVAM

PRÆSIDE

D. IOANNE HENRICO SCHVLZE
MEDICINÆ ELOQVENTIÆ ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO

ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM ET
REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-
LINENSIS SODALE

PRO GRADV DOCTORIS

Ad d. April. Anni M DCC XXXVI.

ERVEDITORVM EXAMINI

SVBICIT

AVCTOR ET RESPONDENS

GEORG. WIGGERS

BREDTSTADIO - HOLSATVS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ
Typis IOAN. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

DISSERTATIO INNOVATIONIS MEDICAE
DE

SALIS CORPORVM
MIXTORVM PRINCIPIO
CONSTITVTIVO

PER

DOCTOREM HENRICO SCHWABE

MEDICINAE DOCTORIS ET ACADEMICVM ET
PHILOSOPHIAE PROFESSOREM PUBLICO
GIESSEN

ACADEMIAE CAESARIAE NATURAE CURIOSORVM ET
PHILOSOPHIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS
MEMBRUM SOCIUM

PRO GRADU DOCTORIS

ANNO 1811

PHYSICORVM EXAMINI

ALTONAE ET REIPONDENS

GEORG. WIGGERS

PHILOSOPHIAE DOCTORIS

Typis IOH. CHRIS. HILSCHE, Acad. Typogr.



VIRO ILLVSTRI
CONSVLTISSIMO ET AMPLISSIMO
DOMINO

IOANNI FRIDERICO
IESSENIO

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI DANIAE
NORWEGIAEQVE REGIS MAIESTATI
A CONSILII IUSTITIAE,
PRAEFECTVRAE HVSVMENSIS
INSPECTORI GRAVISSIMO
MERITISSIMO

PATRONO SVO

OMNI OBSEQVIO AETATEM COLENDO
DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM

L. M. Q.

D. D. D.

A V C T O R.

*VIR ILLUSTRIS, CONSULTISSIME
ET AMPLISSIME
PATRONE OBSERVANTER COLENDE.*



Diu multumque meditatus sum,
quo pacto animum meum
TIBI obstrictissimum declara-
re possim. Tanto me semper
amore meosque omnes es
complexus, tantis nos ornasti beneficiis, vt eo-
rum memoria nunquam apud nos sit intermo-
ritura, TVA etiam humanitas, TVA eruditio
rerum-

rerumque ciuiliū prudentia, in tantum TE,
VIR CONSULTISSIME, euexerunt honoris
fastigium, vt Regi non solum Potentissimo
gratus sis acceptusque, sed & omnes, quibus
es præfectus, mirifico TE prosequantur amo-
re, & nihil in votis habeant magis, quam vt ad-
feros usque annos TE DEVS rebus mortalium
interesse sinat, quo Patria TVA virtute, TVA-
que dexteritate, multa adhuc illustria sibi pro-
mittere possit. Hoc non solum omnes ac sin-
guli sed & ego ex animo opto. In cuius rei
fidem has leuidenses chartas, TIBI, VIR AM-
PLISSIME, do, dico, dedico. Accipe i-
taque læta fronte hoc meæ in TE pietatis &
obseruantix documentum. Accipe has, quas
TIBI offero, laboris mei primitias, quibus sum-
mos in medicina honores quero. Non ina-
nem laudis gloriam hoc leuiori labore aucu-
por, non TIBI eum in finem has pagellas con-
secro, vt meam, quæ nulla est, eruditionem o-
stendam, sed vt publice demonstrem, quanti
TVAS

TVAS virtutes , TVAMque mirificam doctri-
nam, TUAque faciam merita semperque adhuc
fecerim. Summum interea ac præpotens nu-
men TE quam diutissime salvum præstet in-
columemque, omnes fortunæ iniurias a TE cle-
mentissime auertat, omnibus, quæ in homi-
nem cadere possunt, bonis TE ornet, in salu-
tem reipublicæ, in decus & ornamentum pa-
triæ. Me vero constanti TVO amori obser-
uanter commendo. Vale & fauore TVO por-
ro dignare

VIR ILLVSTRIS, CONSVLTISSIME
ET AMPLISSIME

PATRONE OBSERVANTER
COLENDE

TIBI obstrictissimum
GEORGIVM WIGGERS

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

SALE CORPORVM MIXTO-
RVM PRINCIPIO CONSTITVTIVO.



Postquam Paracelsus cœpit suam novam philosophiam & medicinam orbi erudito exponere, ac homines a priscis illis placitis, auctoritati plerumque innoxis, avocare ad experimenta per ignem instituenda, multus fuit sermo de sale, sulphure & mercurio corporum mixtorum primis principiis. Volebant utique priores possessionem suam tueri & mordicus pugnabant pro illis, quæ per tot annorum & sæculorum decursum fuerant narrata: sed Paracelsus sibi quoque non deerat inveniebatque asseclas, quorum studio & conatibus regnum Aristotelicum labefactabat. Acriter igitur pugnabant nova principia cum veteribus illis, & victoria sæpe se inclinabat quo major hominum favor aut furor eam detorquebant. Belli istius historiam scribere non cogito, quia in manibus & memoria hominum versantur scripta

A 2

pro

pro & contra edita, nec defunt conciliatorum libri, ex quibus ad satietatem hæc possumus petere. Sufficient illis, quibus rem totam compendioſe cognoscere volupe est, *Danielis Sennerti*, liber de chymicorum cum Aristotelicis & Galenicis consensu ac dissensu, & *Guern. Rolfincii* chymix in artis formam redactæ libri I. cap. XVI. XIX. ex quibus status controversix satis clare adiscetur. Cum vero etiam moderni quidam in principiis corporum mixtorum enumerandis valde dissideant, mihi a primo initio studii medici sæpius accidit audire dissentientes circa principia doctores & in scriptis valde diversa tradentes. Hos cum audirem aut legerem attendi illis maxime, qui experientix calculum adferebant, & ex hoc suffragio rationes explanabant. Nunc mihi honores doctorales capeſſere cupienti pro specimine inaugurali ea sistere placuit, quæ de principio corporum mixtorum salino exquirere & in ordinem, ut existimo, cohærentem redigere longa meditatione & aliquibus experimentis desuper captis licuit. Rogo benevolum lectorem, velit mihi primum ingenii & industriæ specimen edenti favere, & veniam tribuere si nondum illa apud me æque perfecta sunt, quam forte apud se per longioris temporis decursum & ipsius ætatis maturitatem devenerunt.

§. I.

§. I.

P Rincipium vocant phyfici & chemici priores nostro hoc sæculo eodem sensu, quo prisca anatomici partes similes dicebant, id est simpliciores illas, quæ in multis corporis nostri locis sæpius occurrentes idem nomen tuentur, e. g. os, nervus, arteria, vena &c. Quamvis enim os unum ab altero, & vena una ab altera, differt accidentalibus qualitatibus, in quavis tamen vena, & in quovis osse, est aliquid, quod ideam ossis vel venæ intuenti sistit, & efficit, ut ab unoquoque eodem nomine appelletur. Quando itaque dicunt corpora mixta constituta esse ex certis principiis, id volunt, animadverti in omnibus & singulis eorum aliqua, in quæ possint per varios analyseos modos resolvi, quæque, si experimentum in plurimis capiatur, sic satis bene inter se conveniunt certis characteribus. Sic os osi convenit maiori præ ceteris partibus duritie, rigiditate & siccitate, unguis unguis duritie, sed flexibili, siccitate & aliquali pelluciditate.

§. II.

Pari ratione homines naturæ cognoscendæ studio, si, quum corpora omnia ignis examini subicerent, visi sibi sunt invenire certas proprietates omnium corporum mixtorum, ex quocunque regno essent, quibus principiorum nomen dederunt. Sic vegetabile aliquod aperto igne comburentes videbant fumum ascendere, aliquid ignis pabulo cedere illumque nutrire, sensimque totum absumi, rursusque aliquid remanere favillarum & cinerum, quod aqua elutriatum sal præberet, hoc autem extracto terram inertem relinqueret. Quum vero ipso sensu perciperent, combusta vegetabilia fumum non u-

nus generis emittere, quum aliqua gratum quid oleant, ut tus, agallochum, iuniperus, aliqua resina: alia plus minus acrem, acidum, amarum & irritantem fumum spargant, ut absinthium, helenium, benzoe: coeperunt curiosius in hæc singula inquirere, atque modum excogitarunt talia vasibus clausis tractandi. Sic excogitarunt suppellectilem destillatoriam, eaque adhibita didicerunt id quod in fumum disiicitur, colligi posse in spiritum, hoc expulso subsequi oleosum quid inflammabile, relinqui carbonem, qui aperto igne tractatus fatiscat in cineres, ex quo sal possit elici, restitante tandem terra inertis. Hinc concluderunt, id quod in combustis aperto igne fumi facie avolat, cum eo quod aquosum & non inflammabile ex retorta pellitur, convenire: id quod ardet, & oleum inflammabile per retortam impetratum, rursus ejusdem generis esse: atque hinc duo principia, alterum non ardens sed avolans & dissipabile, alterum inflammabile & hoc motu dissipabile cognoverunt. Tertium utrobique post accensionem & percandescentiam ad liberum aerem inuenerunt aquæ communicabile & per illam elutriandum.

§. III.

Quemadmodum vero vetustissimi philosophi elementa denominaverunt ab illis corporibus, in quibus qualitates cujusvis elementi manifestissime cognoscuntur: sic novi isti philosophi novo invento ingenii & industriae suæ nova nomina symbolica imponebant, vocabantque illud volatile non inflammabile mercurium, quia argentum vivum, quod idem nomen habet, calore in auras omne dissipatur, absque eo ut flammam accipiat: alterum inflammabile & cum flamma dissipabile

le

le vocabant sulphur, quia hoc etiam flammam concipit, totumque conflagrat: tertium autem quod in aquam migrat, hac autem evaporata siccam & terræ similem fragilem ac pulverulentam consistentiam suscipit, appellabant sal, quoniam id, quod in quotidiano usu versatur, noverant pariter ex aqua, vel marina vel falsorum fontium, decoquendo & evaporando siccati, rursusque ab accedente humido resolvi. Terram, seu cinerem reliquum, tamquam fæces, abiciebant priores illi, ternario isto contenti: quamquam subsequuti etiam illam, non tamquam principium, sed elementi secundarii ac ignobilis nomine & loco censendam, admiserunt, & cum humiditate elementari seu phlegmate ad quinarium principiorum retulerunt.

§. IV.

Quum animalia examini suo subjicerent retortis vasibus indita, viderunt eadem, quanquam ordine & accidentibus quibusdam mutata. Accipiebant enim non inflammabile aliquid liquidum, quod, quia volatile, mercurii, sed vulgatius spiritus nomine indigitabant. Sequerebatur oleum, primo tenuius inflammabile, deinde crasius, quod tamen ipsum quoque aliquoties rectificando & attenuando facile inflammabile reddi possit. Interea ascendebat aliquid siccum, salinum, in aqua liquabile. Remanebat nigrum aliquid instar carbonis, quod, sufficienti ignis aperti vi exustum, aquæ admodum quidem parum salis fixi tribuebat, sed terram plane omnibus proprietatibus sistingebat. Atque sic tam illi, qui ternarium principiorum numerum tuebantur, quam hi, qui quinarium statuebant, hic inveniebant perinde
ut

ut in vegetabilibus, sal, sulphur, mercurium, phlegma & terram.

§. V.

Hæc in vegetabilibus atque animalibus inventa principia mineralibus etiam ac metallis vindicabant, atque ut separatim ostendenda sint, pro suo quisque captu & peritia, operam dabat ut aliis ea persuadere posset. Quumque in metallis perfectis satis arduum esset ostendere v. g. mercurium seu volatile principium, excusationem plausibilem afferebant, quod ad naturam perfecti metalli pertineat, ut tam sulphur quam mercurius fixentur & non facile dissolubili nexu cum terra salina ligentur; unde satis habebant hæc, tanquam illa, quæ in arte summa sunt, silentii peplo involvere & variis hieroglyphicarum atque mythicarum præfigurationum, omnes metamorphoses Ovidianas longe superantium involucris, tamquam velo obducere, ne Diana hæc nuda a profanis hominibus conspecta profanetur. Interim urgebant mineralia imperfectius mixta & metalla quædam ignobiliora, atque ex his facile sal, sulphur & mercurium, scilicet aliquid horum characteres exhibens, comparabant: magisque enitendum hortabantur ut hæc fixentur & firma copula ligentur, quam ut semel fixata separari possint.

§. VI.

Nostri scopi ratio non patitur de mercurio & sulphure nunc agere, sed tenemur ex titulo præfixo ea tantum persequi, quæ ad sal pertinent. Salis itaque nomine appellatur, quicquid in forma sicca & solida exhiberi potest, iterumque in aquæ poros suscipi, ibique resolutum hæere sub clari liquoris & filtrum quodvis pene-

penetrantis specie: ita autem resolutum & gustu exploratum, organum hoc sensorium notabiliter afficit, illique saporem certum imprimat, a cujus qualitate denominationem dulcis, acidi, falsi, amari, lixivi, acerbi, acris, austeri, & quæ sunt alia, reportat. Videntur autem naturæ rei convenientissime docere, qui quamcunque terræ particulam cum particula aquæ intime & accurate junctam, etiam sub sicca illa salis forma, perhibent, atque hanc ipsam cum aqua conjunctionem esse causam, cur aqua subire terram illam, eamque prompte resolvere possit.

§. VII.

Sal autem unumquodque specificam quandam & determinatam proportionem terræ hujus solubilis ad aquam adhærescentem servat, quæ ab aliquibus levicalore, ut fornacis calidæ aut radiorum solarium, abigi facili negotio potest, quod in sale mirabili Glauberi, & vitriolorum generibus apparet, quæ tunc crystallinam pulcram faciem mutant, primo rimas in superficie contrahunt, mox quasi polline albo conspersa apparent, tandemque penitus in pulverem fatiscunt. Magis parum est quod nitro & sali communi inhærescit, idque satis intime, ut se liquari etiam igne patiat, nec eo expellatur. Longe minimum borraci adhæret, unde hoc sal aqua liquabile, si ignem sufficientem sentit, multum inflatur, mox expulsa humiditate concidit & in vitream consistentiam pellucidam abit, quæ omnem deinceps solutionem in aqua respuit, nisi forte Hombergius, qui contrarium asserit, singularem artem aliquam novit, qua præstare hoc ceteris omnibus impossibile declaratum negotium valuit.

B

§. VIII.



§. VIII.

Atque hoc perpetuum & commune est omnibus salibus, quæ vulgarissime hoc nomine censentur & veniunt. Merito illis annumeratur ex vegetabilium genere saccharum, quod plurimum paratur ex aliqua arundinis specie, quanquam, testibus itinerum scriptoribus, etiam ex aliqua specie arboris bombaciferæ alicubi conficitur. Eodemque referri debet manna, quæ ex fraxino & orno per multas Europæ regiones calidiores colligitur, videturque in crystallinam optimi sacchari æmulam puritatem reduci posse, si quis vellet idem studium adhibere, quod saccharo depuratori faciendo adferri solet. Est autem in saccharo illud curiosum, quod minime ad solutionem indigeat humido, usque adeo ut vel vapores ex vasculo quo theæ infusum paravimus, suscepti in poros & interstitia ejus, nexum particularum antea siccarum, interponendo sese, resolvant. Hujusmodi dulcia salia quin probe maturis vis, palmulis, ficibus, pomis, piris insint, dubitare nos non sinit ipsa talium exsiccatum inspectio, quia sæpe notabiles portiones pene crystallini ac facillime liquefcentis hujusmodi dulcis concreti oculis & gustui offerunt.

§. IX.

Præter hoc dulce sal in vegetabilibus obvium, offert sese etiam in permultis sal acidum, quod adhibito studio in veram crystallinam naturam transferri potest præcipue ex acetosa & acetosella, ut & ex limonum & citiorum pomis, porroque ex plantis insigniter amaris, si succus justo tempore expressus debito modo tractetur. Copiose suppetit illud sal vini acidum essentiale, quod præ ceteris præbent vinâ germanica & tartari nomine venire

nire solet, longe mitius acidum, quam sal acetosellæ, quodque in aqua non facile liquefcit.

§. X.

Animale regnum non multa offert exempla salium sub forma sicca crystallina, iterumque aqua solubili, observatorum. ROLFINCIVS libro ante citato cap. XVII. p. m. 45. *salia actu redundare in sanguine confirmant exemplis sudorum salforum, quæ nonnumquam linæaminibus striarum instar coagulati adherescere observantur.* Scribit doctissimus vir relative, sed auctorem certum non indicat, incertumque est quantum fidei mereatur ista relatio, quam in medio relinquo, quum certas observationes nondum reperire licuerit. Forte majori jure, certe majori fide, huc referentur salia lacrymarum in crystallos densata super ipso oculi bulbo & in palpebrarum superficie, quæ, qui ipse vidit & examinavit illustris quondam archiater Megalopolitanus & Professor Rostochiensis D. D. SCHAPERVS peculiari epistola de lippitudine crystallifera A. 1704. edita luculenter descripsit, cujus summa repetitur in *Act. Nat. Curios. Cent. IV. pag. 418.* in quo judicium lectori permitto, quantum objectiones adversus salinam indolem factæ a viro docto quidem sed qui examen ipse non instituerat & ex sola conjectura scripserat, valere debeant contra doctos plures viros, qui omni examinis genere suscepto crystallinam salinam naturam deprehenderant. Pertinet huc quoque, quod dubio caret, urinam recens inspissatam & repositam crystallos salii communi simillimas largiri.

§. XI.

Haecenus de salibus loquuti sumus, quæ datæ definitioni plene conveniunt, quia & sub forma sicca, instar

star terræ, fisti possunt, & aqua adjecta liquari, ac fluidi naturam subire. Atque hæc talia ab omnibus cito agnoscuntur falsa. Sed chymicæ consultissimi viri longius etiam progrediuntur, multaque salium nomine appellant, quæ in formam siccam, salva sua essentia, non possunt redigi. Atque his quoque tamen vindicant definitionem salis, quod sit terra soluta cum adhærescente humiditate aquea. Integrum de hoc argumento libellum dedit Exc. D. D. STAHLIVS, quo præcipue adversus KVNCKELIVM disputat & Beccheri principia confirmare multo experientiæ apparatus allaborat. Ex hoc libello in nostram rem præcipue facit, quod de salino principio tam vegetabilium quam animalium passim differit, quibus me excitatum fuisse ad hanc meditationem, neque parum adjutum, gratus profiteor.

§. XII.

Scilicet acida mineralia sulphuris, vitrioli, nitri, salis communis, per ignis vehementiam liberata ab illis, cum quibus in siccam formam abierant, sive metallis, sive salinis terris, nullo pacto adduci possunt, ut salva hac sua sincera indole in coagulum siccum abeant, sed potius cum tantillo aquæ, quod intime ipsis adhæret, in auras dispelluntur, aut ex vase, in quo ignem sentiunt, in aliud transcendunt. Si vero unicuivis reddas id in quo coagulari & quocum uniri amat, ut nitri acido alcali cum aliquanto calcis, salis culinaris acido iterum alcali, vitrioli acido, sed diluendo prius,amenta ferri aut cupri, reparabis falsa sicca crystallina, ex quibus, quoties libet, eosdem spiritus salinos licebit recuperare. Atque ut ars præparare & exhibere talismodi spiritus, seu acida a terris suis abstracta, valet, ita natura ejusdem generis

neris vapores & succos passim per omnia sua regna dissipatos circumfert, qui se diversissimis subjectis insinuando infinita mixtorum genera constituunt, & in illis deprehenduntur. Et quando loquimur de salibus mixtorum corporum principio constitutivo, hujusmodi potius indeterminata salia, quæ per hoc universon vagantur, intelligimus, quam illa jam in certo terrarum genere fixata & formam ac speciem adeptæ.

§. XIII.

Dum enim sub hac halitus aut aquæ forma per cavernas & strata terræ vagantur, aut atmosphæram nostram, aeri permixta, pererrant, singulis momentis incurrun in corpora, cum quibus se jungere possint, indeque in diversissimas species abire. Quæ quidem infinitæ prorsus combinationes, compositiones, decompositiones, juxtapositiones, aggregationes, & quibus aliis nominibus censentur, arte chemica non solum declarari possunt, verum etiam felici imitatione in multis exprimi, ut merito gaudeamus illa luce, quæ phyticæ doctrinæ per illam affusa est, ominemurque fore ut excellenti ingenio præditi viri, atque otium ad hæc nacti & industriam non recusantes, multa detecturi post nos sint, quæ nobis nunc nondum patent & ex omni parte videntur perspicua.

§. XIV.

Sed dabimus operam, per singula naturæ regna eundo, ut concursum principii salini ostendamus. Quis crederet, asserenti durissimos silices in mixtura sua salis aliquid continere, nisi experimentis id disceremus. Vitriarii quando arenam, utique siliceam & sæpe crysfallinam, adjectis salibus alcalinis liquant, notant utique

B 3

non

non obscuram fieri ebullitionem, non dissimilem illi, quæ tunc accidit, quando duo contraria salia permiscuntur. Esse autem illud salinum, quod silicibus inest, acidæ prosapia & seorsim vitriolicæ, edocemur illo experimento, quando sali communi addita & retortæ indita pura arena, qualis est illa nostra eleganter candida & crystallina, spiritum ejus expedit & prodire facit, non secus quam alias terræ bolares, aut vitriolum vel ejus oleum. Et quamquam leni igne admodum modicum impetratur, certum tamen est quod vehementiori gradu, ad liquationem usque intenso, longe majori copia impetrari possit, isque valde sincerus & concentratus spiritus. Idem etiam succedere cum nitro, certis & idoneis testibus credere facile possum.

§. XV.

Quod bolares terræ pariter sal aliquod acidum, & vitriolicæ quidem indolis ac originis, contineant, ex dictis jam patet. Quod si jam accidat, ut illæ acidæ particula cum bituminosis inflammabilibus coeant, formabunt pyritas, lithanthracesque, & si terra martiale principium aut venereum foveat, vitriolis hujusmodi generandis apta reddetur, si vero potius cretaceæ naturæ fuerit, aluminosum potius enascetur. Insuper esset si per singula eundo commemorare vellem, quo pacto salium varietas & copia sese manifestet in regno minerali. Quumque nobis persuasum sit neminem facile de hoc esse dubitaturum, præsertim si immanem quantitatem salis communis, vitriolorum, aluminis, atque illorum salium, quæ ex fontibus variis parari possunt atque solent, intueri velit: plura his non addo, & potius ad regnum vegetabile transeo.

§. XVI.

§. XVI.

Quicquid ex terra nascitur & incrementum capit, salinæ indolis plurima documenta præbet, sive gustu exploretur, sive examini chemico variis modis subjiciatur. Si vero intuemur illa, quæ solum quodque illorum alimento suppeditat, & quo pacto fertilitas terræ major concilietur, haud magno negotio intelligetur quantum hic quoque tribuendum sit salibus. Est autem non dicam verosimile, sed satis omnino certum & exploratum, quod vegetabilium nutrimentum non omne a soli ipsius contentis veniat, neque aquæ tantum sive pluviæ sive ad irrigandum undecunque allato & desumpto debeatur, sed quod ex atmosphæra, salibus semper refertissima, plurimum in illa, quæ crescunt, derivetur. Nam quum perpetuo in aerem dissipentur multa salina effluvia, quæ vel ex putrescentibus vegetabilibus & animalibus, vel ex combustis lignis aerem subeunt: ipsaque terra variis locis multum halituum salino-sulphureorum emittat, multumque ex ustulatis mineris avolet, & atmosphæra immittatur, perque ventos mirabiliter distribuatur & dissipetur: hæc vero cum rore, pruina, nivibus, pluviis in terram recidunt: apparet sane quod in vegetabilium pabulo non illud solum censeferi debeat, quod ex ipsius soli natura suppeteret potest.

§. XVII.

Quod vero salia incremento & nutrimento vegetabilium cedant, hortulanorum atque nobilissimæ rei rusticæ cultorum experientia testatissimum est. Non latet utique illos quantum citriis malis conducatur foex vino recens fermentato detracta. Idemque noverunt quantum nitro per areas hortorum & agrorum sparso, aut

aut aquis leviter putrentibus admixto, fecunditas au-
geatur. Alii sal commune cum calce viva miscent &
aqua subigunt: mixturam hanc igne aperto & flam-
mante bene exurunt, tandem hanc materiam aqua fime-
torum subigunt, & terræ hortorum intermiscent, con-
spicio in multos annos fructu. Longe plures modos
passim commendat *Glauberus* in scriptis suis, qui iidem
sunt, quibus terra disponitur ad sal nitrosum in atmo-
sphæra oberrans colligendum, ut illo suscepto incre-
menta vegetabilium adjuvet. Quin totius agricolatio-
nis modus ab antiquo ad nostra tempora servatus, per-
suadet fructum omnem a collectione nitrosi aerei salis
pendere. Cur enim agri, ante quam conferantur, se-
mel iterumque aratro submoventur, nisi ut vernus at-
que auctumnalis aer, nitro prægnantior, terram subeat?
Cur finus animalium straminibus, stipulis, foliis ac ra-
mulis arborum permixtus agro invehitur, & aratri ope
terræ permiscetur? non certe solum ob salis jam præ-
sentis copiam, sed quod iuste sperat agricola fore ut in
locum mox putredine absumendorum vegetabilium su-
biturus, seque collecturus sit sal nitrosus aereus: perin-
de ut in maceriis ex luto & straminibus nitrum copio-
se colligitur, quando stramina putruerunt & aeri ingres-
sum dederunt.

§. XVIII.

Quod vero sale imbuta terra fecunditatem ejus mi-
rum in modum augeat, videor mihi cognovisse ex fer-
tilitate patrii soli Hollatici. Nam qui agri mari vicini-
ores sunt, longe minus aliis opus habent frequenti
stercoratione, neque ferunt bene illa, quæ macrius so-
lum desiderant. Propterea rustici eos conferunt illis se-
mini-

minibus, unde olea premuntur, hordeo hyemali & similibus, quæ copiosum alimentum admittunt: aliis agris ea semina permittunt, quæ minus copiosum alimentum perferre possunt. Scio aliquos contendere falia eo potissimum juvare, quod humiditatem terræ diutius continent: sed non hoc solo absolvi eorum fructum in fertilitate concilianda, verum etiam eo facere ut stipulæ a demessis frugibus citius putrescant, istaque putrefactio terram suscipiendo nitro aereo idoneam reddat, persuasissimum habeo. Vnde fit ut terræ Holsaticæ mari propiores nullis aliis cedant frugum uberi copia & bonitate.

§. XIX.

Fere prævideo quid mihi sint objecturi aliqui lectores. Nam quum falia dixerim terras esse solubiles ab humido, non facile intelligent, qui fiat, ut solubilia corpora apponi possint & firmari, ita ut fiant corpora tam solida, quæ nullo humido resolvi possunt, sed illud per integræ sæcula servare valent. Quis enim nescit durabilitatem lignorum, e. g. quercus, ex qua confecta vasa diutissime durant, & vinum, aquam, aliosque liquores conservant, ut nunquam auditum sit quercus lignum fuisse ab aliquo humido aqueo resolutum. Enimvero eosdem juvabit consideratio tartari in ipsa media humiditate vinosa concretescentis, nec ab ipso deinceps vino resolventi, nec aqua, nisi multa & calore adjuvante. Scilicet motus intestinus, quo omnes vini particule perpetuo inter se agitantur, tam diacrisin quam syncrisin novam peragit & particulas multas pingues & inflammabiles, cum terreo-salinis compingendo in nexum aliquem adducit. Quum hoc fiat in jam expressis succis, tanto magis id accidit
C
quan-

quando in ipsius plantæ partibus variis organicis circumducuntur, ibique multos utriculos & diversæ structuræ incernicula trajiciunt, in quorum singulis, admirabili & mentis humanæ omnem perspicaciam superante modo fiunt diversæ sequestrationes & secretiones, quas magis admirabundi conspiciamus factas, quam modum, quo fiant, assequimur.

§. XX.

Liceat huic considerationi paululum immorari, & rem exemplis aliquot confirmare. Quis nescit quanta sit amaritudo in colocynthidis fructu, aut fructu cucumeris asinini? certe in hoc magna, in illo maxima, ut prophetarum filii, degustato illo, exclamarent: O vir Dei, mors in olla! Quis existimaret semen huius fructus, amarissimo succo undiquaque circumfusum, nucleum continere amari saporis expertem, oleosum, emulsioni parandæ idoneum? Ex tali semine enata planta amaro succo tota turget, sed reddit semen non amarum, nisi quantulum exterius ab ambiente succo adhæsisse videtur. Similiter punicum malum exterius ambitur tegmine crasso, quod mali corium non iniuste dicitur, austero succo quidem repletissimo, ut vix simile habeat inter omnia generis vegetabilis. Subsequitur pulpa gratissimum acidum aut vinosum dulcem succum continens, prorsus ut manifestum sit omne crassum & austerum in cortice, tamquam colatorio, hæsisse & detentum fuisse, solo tenuissimo & per tot circulationes maturato succo intus restitante. Et quum in omni frondium & germinum genere degustato inveniat aliquid acerbum, salino acidum, omnesque fructus, qui gratissimum saporem præbent, ante maturitatem austeri, immi-

immites, acerbi sint : & in una planta diversæ partes
diversos sapes offerant, eosque diversis etiam tempo-
ribus magis diversos : dubitari certe nequit, quin ista
subsequenter enascens differentia multiplicibus depura-
tionibus, sequestrationibus novisque coniunctionibus
& decompositionibus debeatur.

§. XXI.

Quod autem omnia, quæ plantam quamcunque
constituunt, & ab ea successive proveniunt, salina po-
tissimum specie, id est humido resoluta & elemento a-
queo permixta, in eam deferantur, persuadet potissimum
consideratio primæ ex seminibus progerminationis &
incrementi per gradus facti : quod argumentum quum
latissime pateat, & ab iis, qui plantarum anatomias ex
instituto scripserunt, repeti possit ; immittere nos am-
plæ deductioni non possumus aut volumus. Potius tenta-
bimus invenire proximam rationem transitus ex salina
illa solubilitate, in terream ac firmam compagem, quam
in lignis & fructuum putaminibus insignem, in ceteris
fatis notabilem deprehendimus. Haud tamen scio an
aliud quærere opus sit, aut designare liceat, præter prin-
cipium sulphureum seu pinguedinosum, quod salibus
vegetabili mixtionis idoneis copiose jungi observamus.
Sic nitrum ipsum, aut quæ nitri generationi apta sunt,
promovendo incremento vegetabilium mirifice favere
supra diximus : nitrum autem est sal principio inflam-
mabili permixtum. Quod autem inflammabilia salibus
permixta ad terreum principium deducantur, instar
omnium docet egregium experimentum a *Kunckelio* pri-
mum traditum, sed ad utilissimas applicationes ab *Exc.*
Sablio in tract. de sulphure deductum. Quando scilicet

C 2

opti-

optima olea vitrioli & terebinthinæ, debito modo mixta, destillationi permittuntur, inde multa aqua acido imbuta impetratur, remanente mixto sicco, terreo, inter dentes instar fabuli stridente, fixissimo.

§. XXII.

Hoc experimentum non solum docet quod salia, sulphureis inflammabilibus rite juncta, transeant in terream ac fixam substantiam, verum etiam quod sapidum illud, quo acida pollebant, postquam cum pingui inflammabili arcte coierunt, & naturam ab humido non amplius solubilem induerunt, omnino pereat: quantum autem ejus non abiit in terream naturam, humido inatans effluat, multo minus, quam antea forte: quemadmodum id quod ab concentratissimo antea acido transstillavit, non nisi debilem saporem, respectu scilicet prioris, exhibuit. Laudavimus id experimentum, tamquam in genere monstrans ut fiat transitus a statu salino resolubili, ad non resolubilem, qualem in vegetabilium plerisque partibus videmus. Nolim autem argui tamquam acida & sulphurea in vegetabilium incremento requiram æque pura, sincera & elaborata, ut in laudato experimento assumi debent. Interim non abnuo, si quis pro salibus, quæ vegetabilia potissimum intrant, acida præcipue intelligenda putet. Hæc enim ex telluris profundo ad superficiem plurima tendunt, & in atmosphæra nostra oberrant potissimum: & ex vegetabilium resolutione & exploratione clarissime patent.

§. XXIII.

Ne gratis asseruisse hoc videar, aliqua adducam, quæ confirment thesiam nostram, quod per omne regnum

num vegetabile sal acidum potissimum regnet. Primo autem iuvat nostram sententiam sapor, qui vel sincere acidus est, vel quod longe frequentius, herbidus austerus & plus vel minus adstringens, vel amarus. Quod autem austeritas sit acidi index, forte nemo probandum sibi postulabit: quod amarities acido innitatur, docet nos elixir illud, quod proprietatis vocatur. Illud aloes plurimum habet, & ab hac amarissimum est. Si vero aloë imbuatur sale alcalino deliquium passo, & per hoc acidum aloes infringatur, mirabimur quantum immanis illa amarities imminuta sit, ut sic paratum elixir dulcis nomen haud injuste gerat, utique si alterum amarissimum, sine hoc additamento paratum, degustaveris. Herbæ concisæ & aqua calida affusa repositæ in fermentationem pronæ sunt, præsertim si additamento sæcum hoc negotium juves. Si iusto tempore hoc fermentatum destilles, nancisceris aquam spirituosam, quam si ita debilem reponas loco frigido, non adeo longo tempore interiecto acidam factam invenies. Si rectificando a nimio phlegmate liberares, in acidum non ruet: quod si tamen velis spirituosam arctam cognationem cum acido cognoscere, vel ostendere, rectificatissimo cuius spiritui affunde aquæ forte dimidium & repone temperato loco, miraberis optimi aceti proventum.

§. XXIV.

Eodem referri plura documenta possunt, sed luculentiora adducam. Succus fructibus horæis expressi in vinosam aut acidam fermentationem deduci possunt. Vino æmulus liquor, quem tot mortales avidè bibunt, ex fructibus cerealibus paratur, & ex iisdem acetum æque ac spiritus ardens, incredibili copia parantur. Suc-

cus ex arundine saccharifera pressus, nisi celeriter a nimia humiditate liberetur & inspissetur, in fermentationem illico labitur. Emulsionem ex nucleis paratam, si diutius serventur, acescendo corrumpuntur: atque iidem nuclei probe contusi, fermentationem cum aqua affusa subeunt, hacque rite peracta spiritum iucundissimum copiose largiuntur. Succus betulæ aut ab aliis arboribus justo tempore proleclus, sine transitu in acidam corruptionem vix diu servatur, nisi eventum prævenias rite moderando fermentationem & aliqua addendo ut in vini vel cerevisiæ emulam naturam transducas. Quibus omnibus tandem subjungo experimentum destillationis per retortam, quæ spiritum acidum ex vegetabilibus, quantum constat, omnibus elicit.

XXV.

Quum hæc adducta acidi salis prædominium in vegetabili regno satis perspicue comprobent; ordo postulat ut etiam dispiciamus de sale alcalino quod ex vegetabilibus insigni copia paratur & elicitor. Illa autem omnis copia, ut ipse rem capio, accedit ad argumenta quæ acidi in vegetabilium mixtione prædominium confirmant. Scilicet alcali formale in vegetabili ullo ante incinerationem præsens non est, sed enascitur demum quando humidum superfluum terræ salis adhærens, cum parte facilis acidi ope ignis aufertur, reliquum autem fixius acidum cum terra & inflammabilis portione arctissime conjungitur. Legendum de hoc argumento commendo Exc. D. D. *Neumannum in prælect. de salibus alcalino-fixis*, ex quibus potissimum adducam experimentum clarissimum, quo edocemur nullum tale formale sal in planta, antequam igne tractetur, aesse, hujus autem ope demum
nova

nova partium compositione generari. Sumatur falis bene crySTALLINI acetofellæ, quod essentialiale dicitur, uncia una, indatur retortæ vitreæ & iusto igni permittatur. Transcendet humiditatis acido volatili imprægnatæ, quantum tres drachmas æquat, olei empyreumatici circiter scrupulus unus prodibit. Caput mortuum ultra quatuor drachmas appendet, & ex eo porro ad præscriptum artis tractato tres integras drachmas, & quod excedit, falis alcalini fixi & optimi acquires.

§. XXVI.

Meretur hoc experimentum seriam considerationem. Sal destillationi subiectum omnibus notis, dotibus & effectibus erat acidum, adeoque alcalino e diametro contrarium, illudque destruebat ac ab ipso destruebatur. Nullam exhibebat notam, nullam proprietatem alcalini. Jam nova diacrisi & syncrisi, ignis brevi ministerio, factis, contrariam naturam induit, eoque adductam est, ut ex octo totius assumptæ quantitatis drachmis, tres integræ, & amplius etiam, pugnent cum eo quod antea fuerant. Jam si verum esset, quod multi nostris temporibus fere priores, ut *David von der Becke in experimentis circa natur. rer. princip. pag. 132.* contendunt, in tartaro alcali cum acido ad punctum saturationis usque commixtum esse, deberet sane evenisse quod nunquam non evenit, quando sal alcali addimus, usque ad punctum saturationis, vel aceto vel solutioni tartari, vel, quod parum differt, falis essentialis acetofellæ. Sic autem enascitur sal compositum, quod tartarum tartarifatam vel regeneratum vocare solemus, in quo nec falis acidi nec alcalini effectus sentire licet, si punctum saturationis, quod auctor expressis verbis urget, tactum fue-

fuerit. Quare si quis salis alcalini formalis & acidi formalis simultaneam actualem presentiam in vegetabilis aut corporis cujusque humoribus statuit, aut ostendere debet quod acidum & alcali sine effectibus suis simul subsistere & coagitari possint, aut aperte profiteri se in castra illorum discessisse, qui sine dissimulatione docent antiquum illud principium, fieri non posse ut idem simul sit ac non sit, nostro hoc ævo, quo omnia novantur, antiquari debere.

§. XXVII.

Manet itaque de salibus in vegetabili regno præcipue obviis & satis frequentibus firmum, quod pleraque pars eorum ad acidorum classem referri debeat, alcalinum autem sal tum demum enascatur, quando principium inflammabile acido junctum ope ignis in novam mixtionem deducitur. Sitne autem illud acidum vitriolico propius, an nitroso an salis communis acido, difficilis videtur disceptatio, & forte non ad exitum felicem deducenda, quum in aliquibus rationes obveniunt, quæ judicium potius ad vitriolicum agnoscendum invitent, quam ad quodcunque aliud. Sic vina obtingunt, præsertim ex Franconicis nobilissimis, ætatem fere sæcularem adepta, quæ tam gustui quam odorati imprimunt aliquid, quod spiritui vini ab oleo vitrioli per destillationem abstracto tam proprium est, ut in tali semper, in nullo autem alio, quod mihi notum fit, deprehendatur. Contra autem pro nitroso acido facit, quod illud maxime inclinatur ad perfectam dulcificationem, quam in fructibus variis horæis per maturitatem comparari novimus. Acidi salis marini documentum nullum succurrit, quum probe meminerim dari-

ri vegetabilia, in quibus sal hoc marinum seu commune substantialiter ostendi possit: quod testantur genera Kali-um, halimus, aliæque plantæ, quæ non nisi ad mare proveniunt, aut in mediterraneis illis regionibus, ubi scaturigines salinæ præsto sunt: qualia vegetabilia prope hanc urbem variis locis colligi posse, ex *Chr. Krau-
thii* enumeratione plantarum circa Halam sponte pro-
venientium perspexi.

§. XXVIII.

Mittimus tandem vegetabilia, transitori ad anima-
lia, quæ plurima aut vegetabilibus vescuntur, aut ani-
malibus vegetabili alimento pastis, aut saltem ab his ani-
malibus suppeditatis, ut lacte, butyro, caseo, ovis. Vn-
de prona est consequentia, quod alimentum vegetabi-
le, quippe salibus numquam destitutum, salinum illud
in corpus animalis tale assumentis afferat. Neque vero
solum ex vegetabili regno salia in corpus humanum per
cibos veniunt, verum etiam potus, quos assumimus,
raro a salino principio prorsus immunes inveniuntur.
Aliquando studio expetuntur manifesto salini, ut aquæ
thermarum & acidularum, salia mineralia gerentes; ne
dicam de quotidiano & vulgatissimo salis communis,
sine quo vix ullus cibus sapit, usu, de aceti, sacchari,
vinorum, cerevisiarum, limonadarum usu, utpote omni-
um salino principio plus vel minus imbutorum. Si de-
nique consideramus homines ex medicorum præscriptis
videntes, aut proprio ingenio pharmacopoliis sive pu-
blicis sive privatis & portatilibus tam addictos, ut mor-
tem metuunt nisi quovis die aliquoties medicamenta de-
vorent, vix calculos ponemus, quibus iniri numerus
queat, quo determinetur quantum per unum mensem
D in-

intra se immittant salium fixorum, volatiliū, essenti-
ficatorum, mediorum, quin, ne quid desit, urinoso-
rum.

§. XXIX.

Quamquam autem contendere nolo, hæc omnia eo
pertingere ut in nutrimentum corporis abeant, adeoque
stricto jure principium hominis constitutivum fiant:
multæ tamen sunt rationes, cur non tam suspicemur,
quam confidenter asseramus, talia humorum nostrorum
commercio immissa, saltem ad tempus esse illorum par-
tem constituentem, si non secundum naturam, seu val-
de laudabilem, tamen præter illam, & quæ debeat inde
excerni. Nolumus autem, neque enim per tempus li-
cet, omnia quæ circa salium in corpora animalia ingres-
sum quæri possent, accuratissime considerare, sed rem
totam ad pauca revocare studebimus. Quemadmo-
dum igitur regnum vegetabile potissimum ingrediebantur
salia sulphureo combinata principio, sic ex vegeta-
bili regno eadem, quæ sulphureo-salina sunt, mixtioni
animali maxime quadrant. Cognoscimus hoc a poste-
riori: quippe animalia abundantia pabulo gaudentia su-
perfluum succum nutritium convertunt in pinguedinem.
Ex animalibus autem illa potissimum pinguescunt, quæ
vescuntur alimento, quod plurimum habet salino-sul-
phureum. Sic porcos alibi saginant siliquis ceratoniis
& ficubus, apud nos glandibus quercuum & fagorum,
castaneis etiam ubi illæ abundant; si nihil horum sup-
petat frumentis cerealibus commolitis. Haud dispari
ratione anseres pinguissimi redduntur. Quæ vero ani-
malia ventrem tenui pabulo, ut stramine & foeno, tan-
tum distendunt, non colligunt pinguedinem, sed poti-
us

us macra & strigosa redduntur, ac tenuissimum & par-
cum lac præbent. Longe meliorem corporis habitum
ostendunt, & lac omni nota laudabilius præbent, quan-
do redeunte vere campi & prata recenti gramine, her-
bis ac floribus vestiuntur, indeque pabulum suppetit.

§. XXX.

Mandunt autem ore & comminuunt, pleraque ani-
malia, aut quæ grana & semina integra deglutiunt, in-
gluvie recondunt ut ibi mollescant & in ventriculo com-
minui ac quasi emulgi possint. Vtrobique accedunt
menstrua in ipso corpore ex optimis succis decerpta,
quibus imbuuntur & animalis nutriendi naturæ accom-
modantur. Plura hujus generis in ipso ventriculo ac-
cedunt, qui & ope caloris inclusi & amplexatorii sui ac
simul agitatorii motus, primam resolutionem peragit,
sicque præparata assumta intestinis immittit, ibi novo
succo pancreatico copiose affluente diluenda. Inibi ad-
miscetur bilis, de cujus usu & scopo diversa quidem
sentiunt physiologi: plerique hodie consentiunt in hos
præcipuos usus, ut & indole sua saponacea intimius
conjugat aquea cum pinguibus, & salinum acidum,
quod in vegetabili nutrimento prædominatur, alcalinis
suis dotibus obrundat, ut in dulcem & album chy-
lum, sanguinis animalium proximam materiam, abire
queant. Nascitur ita & in humores nostros dimittitur
alimentum, quod sibi relictum & separatim considera-
tum, originis acidæ manifesta dat indicia. Nam sive
chylum, lacti simillimum, explores, sive, quod facilius,
eundem chylum in mammis animalium a sanguine ite-
rum secretum, lac scilicet, vergentiam ejus in naturam
acidam pluribus signis, maxime tamen odoris & sapo-
ris

ris claro indicio, cognosces. Quando autem in humorum consortio manens jugi & perenni motu subigitur, totiesque particulae ejus in spaciis vaforum ampliorum conjunguntur, in minimorum angustis canalibus dirumpuntur & dividuntur; sicque salina sulphureis identidem applicantur; acidi natura magis magisque cum sulphureo intime miscetur, inque gelatinosum concretum salino-sulphureo-aquosum abeunt, quod lympham purissimam, omnium partium genuinum & commodissimum nutrimentum, apellamus. Nulla enim re amplius opus est, quam loco commodo, cui quiete apponatur, dimissaque superflua humiditate, accommodetur partis vel augendae vel conservandae similitudini.

§. XXXI.

Si lympham animalium gustu experimur, invenimus omnis saporis expertem, ut prorsus nihil salini in ea suspicari liceat, ad concrescendum vero ita aptam, ut lenissimo calore, non secus ac ovi albumen, coeat & opaca alba fiat. Id quotidie obvio experimento discernere quoque licet, si attendamus quid fiat sanguini ex vena in pede secta effluenti in aquam tepidam, cui pedes immissi sunt. Mox enim animadvertuntur longi tractus gelatinoso-mucidae materiae aquae internatantes, mirumque est quam sint liberi ab omni rubedine ac prorsus fibrosi. Quod si aqua paulo fuerit calidior & majusculae portiones comprimantur, fibroso-carneam indolem satis bene sistunt. Videtur autem haec lympa nihil aliud esse quam subtilissima terra assumptorum salinorum cum pinguibus sulphureis jam intime subacta, idemque esse in animalium corporibus, quod sunt in vegetabilibus gummi si succi, qui subinde ex rupto vel vulnerato cortice exsudant. Rediguntur autem salinae

nae

næ terræ in tantam subtilitatem trajiciendo multas angustias viarum & colatoriorum, quorum quibusvis crassiores particulæ, aut alias inutiles & mixtioni ineptæ, fecernuntur: ne dicam quantum in canali intestinorum remaneat, & focum nomine excernatur.

§. XXXII.

Qui partes corporum animalium examini ignis subjecerunt, præcipue qui sanguinem accuratiori studio destillaverunt, commemorant nobis præter phlegma & oleosum, salia etiam impetrata hoc studio. Plerique quidem tantum sal volatile alcalinum: sed *Homburgius*, *Parisiensis Academiae scientiarum nobilis & celeberrimus chemicus*, etiam acidum: quod tamen non solum non commemorant de eadem re in scriptis suis ex instituto agentes illustres viri *Frid. Hoffmannus & Boerhaavius*, verum alter etiam diserte negat obvenire. Et *Homburgius* quidem dicit se ex instituto suscepisse hunc laborem requirendi & actu sistendi sal acidum in sanguine, quum ratione collegisset fere non posse illud abesse, quia animalia victitant vegetabilibus, multo acido præditis. Equidem non vellem vel affirmantem de eo quod vidit & exploravit, suspectum reddere, vel negantes accusare, quod aliquid industriæ & attentionis circumspiciæ reliquum fecerint. Forte clarior res fiet repetitis experimentis, præsertim si quisque notaverit omnes conditiones subjectorum ex quibus sanguis experimento adhibitus desumptus fuit. Credo enim posse aliquid latere in victus diversitate & ætatum etiam varietate. Interim facile concedo posse acidum separatim accipi; quum ex adducta theoria salis alcalini necessarius sit illi generando concursus & præsentia acidi salis. Quum-

que acidum in vegetabilibus, una cum sulphureo, producat & excludat sal alcali fixum: volatile quod ab animalibus impetratur, quatenus alcalini manifestas & minime inficiandas notas exhibet, sine acido utique produci non potuit.

§. XXXIII.

Majoris utique momenti est quæstio, an sine formidine oppositi concludere liceat ab alcali extrema tortura ignis ex partibus animalium impetrato, ut & a sale acido non minori vi tandem exprimendo, horumque contrariorum salium effectibus, ad præsentiam hujus utriusque salis in animalibus viventibus, ipsorumque humoribus vitali circulo adhuc gaudentibus & agitatis. Certe nullam tantam vim caloris, quanta ad alcali constituendum opus est, umquam perferre valet corpus vivum. Quare non possum non suspectas habere ætiologias, quæ corporis vivi phænomena ex rationibus actionis vel reactionis horum contrariorum salium afferunt. Accedit quod ex una eademque massa per artem educta salia non potuerint in formali hac sua indole præsto fuisse, quum se debuerint mutuo destruere & facere sal medium: quod jam supra, quum de vegetabilibus ageretur, protulimus adversus istam sententiam dubium. *Sylvius* utique, qui acido & alcali multum olim tribuebat, caute satis collocabat hæc duo contraria salia diversis stationibus, ut alcali in bile, acidum in pancreate hospitaretur, unde temporibus suis prorumperent & inter se confingerent.

§. XXXIV.

Atque hæc de salibus ad constitutionem corporis animalis concurrentibus dicta sufficiant. Paucula addam

dam de illis, quæ non cedunt in partium constitutionem, sed humores tamen intrare perquam videtur verosimile. Talia sunt quæ in cibis assumuntur, aut scopo curationis exhibentur, ut nitrum, tartarus vitriolatus, solubilis, aliæque mediorum & digestivorum salium species, quæ forma vel sicca pulverulenta, vel humida ac resoluta exhibentur. Eorum virtus medica amplius patet, quam ut brevi sermone comprehendi possit: quare malo nihil de illis attingere, quam nobilitatem argumenti nunc obrerere, quum pro dignitate non possit excuti. Similiter salia morbosa, in corpore ab incongruo victu & secretionibus ac excretionibus insufficienter factis aut prorsus suppressis cumulata, nunc tractare nec institutum permittit, nec tempus patitur. Quare rivulos nunc claudio & benevolum lectorem, ut omnia in optimam partem accipere velit, etiam atque etiam rogo.



NOBI-



NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DN. CANDIDATO

S. P. D.

P R A E S E S.

Mirum est quam illustres sint veritatis radii, qui etiam primis indagatoribus oculos feriunt, si non dum fuerint praecudiciorum tanquam velo obducti. Bis mille anni effluerunt ab illa aetate, quam magnus PLATO illustrem fecit, ad nostra tempora. Ante ipsum integro seculo floruit Pythagoricae scholae insignis Philosophus TIMAEVS Locrus. Hic librum de natura scripsit, quem ille, ampliori sermone enarratum, voluminibus suis inseruit, ne prorsus doctrinae naturalis & medicae essent expertia. Cum singulari incunditate ibi non obscuram significationem, sed apertam mentionem, vidi salium diuersi generis, inter se pugnantium, sed in concordem unionem coeuntium. Eorumque non obiter meminit, sed tanquam principiorum, ad omnium corporum mixtionem pertinentium. Mirum videri debet, qui fieri potuerit ut de hac theoria tam longo intervallo, vsque ad THEOPHRASTI PARACELSI tempora, sileretur. Tu vero recte fecisti, qui de hoc argumento a multis non uno eodemque modo dicta in ordinem redelegisti, & ad recentissimorum virorum experimenta, recto adhibito iudicio, exegisti. Par momentum situm est in edificiorum fundamentis recte iaciendis & principiis cuiusvis discipline recte cognoscendis. Multum illustrat haec de salibus doctrina plures medicinae partes. Physiologia hinc lucem accipit, pathologia saepe huc respicere debet, hygieine & therapia praecipendorum ac agendorum veras rationes hinc mutuo subinde accipiunt. Gratulor itaque bene peracto & pulchro labori, TIBIQUE optatos rerum omnium successus toto animo apprecor. Vale. Halae Magd. a. d. xxx. Apr. c. i. c. 1733 xxxvi.

00 A 6332 (1)
VD 18


ULB Halle 3
002 836 610




86

Reha ✓





26



B.I.G.

IO INAVGVRALIS MEDICA
DE

CORPORVM VM PRINCIPIO TITVTIVO

QVAM
RÆSIDE
HENRICO SCHVLZE
VENTIÆ ANTIQVITATVM ET
E PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO
REÆ NATVRE CVRIOSORVM ET
TATIS SCIENTIARVM BERO-
NIENSIS SODALE
ADV DOCTORIS

April. Anni M DCC XXXVI.
TORVM EXAMINI

SVBIIICIT
OR ET RESPONDENS
G. WIGGERS
OTSTADIO - HOLSATVS.

MAGDEBVRGICAE
IST. HILLIGERI, Acad. Typogr.